

tradiderunt, nosque de hoc doluisse et dolere, nec umquam nostrae intentionis extitit per hoc iurisdictioni dicti domini episcopi aliquod praeiudicium generari, promittentes bona fide, quod de cetero talia per nos aut nostros conversos non debeant aliquo modo attemptari. In quorum omnium testimonium praesentem litteram scribi fecimus et sigillorum nostrorum appensione muniri. Datum in dicto nostro monasterio in Cella anno domini M^o.CCC^o.LIIII^o. in vigilia penthecostes.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit zwei sehr beschädigten Siegeln an Pergamentstreifen.

No. 477. 1354. 1. Juli.

B. Johann eignet mit Zustimmung des Capitels der Domkirche vom Budissiner Probst Albert Knut in Radebeul erkaufte Zinsen zu Begehung mehrerer Jahrgedächtnisse.

Nos Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Missnensis tenore praesentium recognoscimus publice et¹⁾ profitemur, quod Sophya²⁾ relicta quondam Ludewici de Kûrbiz de consensu et voluntate filiorum suorum Michahelis et Gotheboldi de Kûrbiz³⁾, tria talenta cum dimidio Fribergensis monetae et sex modios siliginis et sex avenae Dresdensis mensurae, quae communi aestimatione extendunt se ad medium talentum monetae praedictae, ita quod summa totius census in grossis extendit se ad sedecim solidos grossorum latorum Pragensis monetae annui census in villa Radebühl⁴⁾, quae villa⁴⁾ sita est prope⁵⁾ mericam Dresdensem et circa villam Kaytitz^{b)}, qui quidem census in pecunia solvitur singulis annis, medietas in festo beati Michahelis et alia medietas in festo beatorum apostolorum Philippi et Jacobi, annona vero solvitur in festo beati Martini et triginta duo pulli solvuntur in festis Michahelis et nativitatis domini et quatuor sexagenae ovorum solvuntur in festo paschae, quem censum et villam praedictam totam dicta Sophya de Kûrbitz⁶⁾ nomine dotis seu donationis propter nuptias a nobis et a nostra ecclesia in feudum⁷⁾ tenuit, habuit et possedit, iusto emptionis et venditionis titulo pro triginta novem sexagenis grossorum Pragensium latorum eidem Sophya⁸⁾ et dictis filiis suis iam integraliter solutis in restaurum dotis seu donationis propter nuptias praedictae, vendidit honorabili viro domino Alberto Knuyt⁹⁾, praeposito Budissinensi nomine capituli Misnensis ecclesiae¹⁰⁾, quae quidem quatuor talenta seu sedecim solidos grossorum praedictos¹¹⁾ ipsa Sophya¹²⁾ constituta coram nobis bona spontanea et libera voluntate, nulla penitus vi seu coactione interveniente etiam cum iuramento non repetendi, una cum dictis filiis suis conferenda praefato domino Alberto nomine capituli memorati ad manus nostras resignavit, renuntians cum eisdem filiis suis omni iuri et actioni et cuicumque legis auxilio et beneficio, quae sibi aut cuicumque eorum competere in eisdem quatuor talentis seu competere possent in futurum, et per quae possent contra dictam renuntiationem venire in toto vel in parte. Unde saepedictus¹³⁾ dominus Albertus nomine capituli praedicti iam dicta quatuor talenta cum aliis obventionibus sibi conferri, incorporari et appropriari ac capitulo et ecclesiae Missnensi praedictis petiit ad usum infra scriptum,

1) et publice B. 2) Sophia B. 3) Kurbiz B. 4) villa fehlt in B. 5) circa mericam B. 6) de Kûrbitz fehlt in B. 7) in feudum fehlt in B. 8) Sophiae B. 9) Knuyt B. 10) ecclesiae Misnensis B. 11) praedictorum B. 12) supra dictus B.

a) Radebeul, Par. Kaditz. b) Kaditz bei Dresden.